



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 7. Congregatio per Papam erecta pro emendatione Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI. nem ad examen vocabant tam Lovanienses, quam Duacenses Doctores, illamque pluribus in locis omnino corrigendam censebant.

§. VII.

Congregatio per Papam erecta pro emendatione Ecclesiæ.

Ciacon. t. 3. p. 745.
Pallav. Hist. Conc. Triad. l. 13 c. 4. n. 3.
Raynald. n. 46.

Cum interea summus Pontifex pro solida disciplinæ emendatione utilis decretis etiam post dissolutam Synodum stabiliendis semper intentus esset, hinc pia hæc consilia in Patrum Senatu manifestabat, his verbis Patres alloquens. „Ut sacra Ecclesiæ disciplina „melio-rem in statum reduceretur, Tridentinam convocavimus Synodum, „cum autem pio nostro consilio, ac voluntati optatus haud adspiraret successus ob belli tumultus primo in Italia, „& postea in Germania suscitatos, ideo „peropportunum censemus, ut ea, quæ „Tridenti ad exitum deduci non poterant, saltem Romæ perficiantur. „His dictis satis numerosam instituit Congregationem Cardinalium, ac Prælatorum, qui morum correctioni adlaborarent, imo plures adhuc creabat Cardinales, ut proximis consultationibus exinde majus firmitatis, auctoritatisque pondus accederet. Seligebantur hanc in

in rem non nisi Viri virtutum, ac scientiæ laude longe clarissimi, eisque præerat Cardinalis Sancrucius, qui postea sub nomine Marcelli II. ad summi Pontificatus apicem ascendit. Porro sanciebatur, ut præprimis decreta ederentur circa comitia, in quibus summi Pontifices eligendi sunt: postea vero ad Cardinalium, Cleri, aliorumque emendationem procederetur. Hæc Pontificis consilia die decima septima Augusti in pleno Patrum confesso prælegebantur: ast obortis pluribus rerum difficultatibus, ac sententiarum varietatibus tot emergebant incommoda, ut nil concludi posset, hæcque Congregatio idem fatum subiret, quod aliæ sub prioribus summis Pontificibus experiebantur, & quamvis initium ferveret, medium tepescebat, ac denique totum negotium in irritum cadebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

§. VIII.

*Pontificis conatus pro reddenda pace
Cæsarem inter, & Galliarum
Regem.*

Cum summus Pontifex spe sua frustraretur, saltem rem coeptam ad exitum magis prosperum facilius deducere sperabat, si tanquam bonus Pastor sua solertia firmam pacem Cæsarem inter,

Pallav. 6. 5.
n. 5.

M m 5 ter,